

FK. 127  
16

X 1876019

99.

De privilegio statuum J. R. Gen. & non e.

PK  
1948

LUDERUS MENCKE. Phil. & J.U.D.  
nec non Min. PP. Coll. Collegiatus

ad

Ventilationem Publicam

# SELECTARUM CONTROVERSIARVM JURIS CIVILIS

Disp. XVIII. absolvendam


in Auditorio JCTORIUM

GENEROLOS AC NOBILISSIMOS  
JVRIVM CVLTORES

cā, quā decet, humanitate  
invitat.

LIPSIAE

TYPIS JOH. GEORG.



act. 41.

VI. 3



### B. C. D.

**R**UDIS atque à Literarum studiis aliena quondam Germania, posteaquam ingeniorum culturæ incubuit, exutis moribus horridis atque indecoris, cum svavitate ac perspicacia Italorum contendere cœpit. Unum verò est, quod ex pristina indole reliquum ibi esse, atque cum summis internectionum periculis tutari, voluit, Libertatis curam iutelligo; (a) unde, ex incondita hominum multitudine ad certam Regiminis Formam emergens, non tantum ob publicas pro Republ. sollicitudines Proceres suos, sed etiam subditos ob Justitiæ administrationem, publico privatoq; commodo, evocari passa non est. Haud postremæ Felicitatis enim est consiliis publicis ibi vacare, ubi Imperantis personam referre licet, autoritatis est publicis communibusq; consiliis socium esse sui, saepe satis ampli, territorii imperium. Quantæ verò calamitatis sit privatos cogi Justitiæ impetrandæ studio rerum suarum fortunam è longinquō constitutam intueri, infinitæ, moras Judiciorum & absentiæ tædia comitantes, molestiæ docent. Hanc autem prærogativam Germani ab initio tanto cum ardore quæsiverunt quæsitamq; conservarunt, imò ampliarunt, ut eorum jus de non evocando non tantum ex annorum, sed etiam ex seculorum serie metiri queamus. Alias quidem Jura Electoribus, perpetuis Imperii nostri columnis, propria, ad reliquos status facile non transeunt; attamen privilegium, quod evocationem fieri prohibet, in Aurea Bulla (b) Electoribus indultum, postea ad omnes Imperii Status pervenit, ut Collegium Electorale testaretur se magis libertatis Germaniæ universæ, quam suæ prærogatiæ suisse studiosum. (c) Atq; hujus juris tenacissima est non tantum apud Imperii nostri Status, sed etiam apud eorum subditos, observantia. Nam Principes Imperii ab Imperatore ad eum vocati locum, de quo, an sit intra fines Germaniæ, contenditur, emanere, quam de suo jure quicquam remittere, maluerunt, (d) ac ipse Carolus IV. Aureæ Bullæ conditor, nunquam in Bohemiam Status Imperii evocavit, ne eosdem ad tribunal extra Germaniam trahere videretur; (e) plenissime autem Statuum & subditorum libertati in hac quoque parte cautum est per Recessus Imperii & Capitulationes, (f) maximè posteaquam modernus Imperator invictissimus Leopoldus d. art. neque Comitia se in loco extra Germaniam sítio indictarum, neque Statuum Imperii subditos ab ordinariis suis judiciis vel evocaturum, vel eorum evocationem permisurum esse, sanctissimè promisit. Verum ne sic quidem Libertati Germaniæ satis prospectum esset, nisi inquisiſiſmis eriam Curiæ Romanæ ausibus obviam iretur. Germaniæ Regnum enim, cui in Italiam perpetuum imperium confirmatum est sub Ottone I. (g) post Hildebrandinas infidias Libertati Germaniæ factas, vix eluctari satis ac tela telis repellere potuit. Nempe sine suffragio Germaniæ Imperantis Pontifices affectare in ea causarum, etiam secularium, cognitionem, decisionem earumq; avocationem cœperunt, speciosum quidem, falsum tamen, Capitis ac Judicis supremi, quoties protractio vel denegatio Justitiæ metuenda esset, titulum ad peccata corrigenda prætendentes. (h) Adversus quos Libertatis inestimabilis insultus Imperatores cum Statibus Imperii declarationes, enixa voluntatis in defendenda Libertate sua testes, non semel emiserunt; id quod non tantum ex Gravaminibus 100. ab Ordinibus Imperii in Comitiis Noribergensis exhibitis Pontificiæ transmissis, præcipue si gr. 9. 10. 11. 12. (i) consulas, sed

(a) v. Cornelius Tacitus de Morib. Germ. c. 37. (b) A. B. c. II. (c) Cap. Leop. art. 18.  
(d) v. Maurit. in Not. ad Capit. Leop. art. 17 p. 828. (e) Limn. Jur. Publ. l. 3 c. 8. n. 57.  
(f) v. R. f. d. A. 1512. §. 14. Cap. Car. V. art. 15. Ferd. I. art. 13. Rudolph. II. art. 14.  
Matthia. art. 15. Ferd. II. art. 13. Ferd. III. art. 17. Leop. art. 17. & 18. j. Joseph. art. 18. &  
adeand. Fritsch. p. 95. seq. (g) c. 23. dist. 63. j. Schilt. de Libert. Eccles. Germ. l. 3. c. 5.  
§. 23. (h) v. c. 13. X. de judic. j. c. 6. n. X. d. for. comp. (i) v. Schilter de Libert.  
Eccles. German. l. 7. c. 2. p. 865. seq. (k) v. Fritsch. ad cap. Joseph. p. 100. seq.

sed etiam ex Novissimo Attentato in præjudicium Capituli Wormatiensis suscepto , Literisque  
 eo nomine à Deputatis Electorum ac Principum Ecclesiasticorum Imperii ad Pontificem di-  
 rectis, (k) apparet. Quoniam verò non sufficiunt contra faciliores in promittendo  
 quām emendando monita , & Autoritate & Lege certa expellendæ fuerunt hujusmodi incon-  
 sultæ juris de non evocando violationes. Hoc egregie (ut è multis pauca afferam exempla)  
 præstiterunt excubantes pro publica salute Imperatores Maximilianus I. & Carolus V. Augusti.  
 Quorum ille Præpopositi Decani & Capituli Metropolitanæ Ecclesiae Trevirensis conatum  
 evocandi Romam Philippum Comitem Virnebergæ , Imperii fidelem , in Edicto publico  
 graviter improbat ac repressit. (l) Hic vero Johannem Episcopum Hildesheimensem pa-  
 cis publicæ violatorem , qui impetum fecerat in Duces Brunsvicenses , ex Decreto Ordinum  
 Imperii proscriptis, neque precibus Pauli III. Pontificis exorari potuit ut ipsius sententiæ con-  
 tra Duces Lüneburgenses , Romæ spolii condemnatos , latæ ullum relinquere locum , sed to-  
 tam potius causam ad Cameram Imperii, tanquam competens Judicium , remisit. (m) Et  
 ne amplius certum Imperii Statuum subditorumq; de non evocando jus vel à Germanicæ Li-  
 bertatis insidiatoribus, sub ignorantia affectato prætextu, violaretur, pel publico præsidio quis-  
 quam , jure hoc in dubium vocato, destitueretur, Legibus Imperii Universalibus liquido confir-  
 mata est hæc Membrorum Imperii imperantium & parentium prærogativa ; ceu Capitulatio  
 Leopoldi Magni unà cum novissimis Imperii Recessibus luculenter corroborat. (n) Verum  
 enim verò, ut hac vice ex amplissima Juris de non evocando materia, quatenus subditis Impe-  
 riis consulit, unicam tantum quæstionem eam expeditum instituti ratio expostulat. Quæ,  
 omnem obscuritatis notam ut effugiat, in casum hunc conjecta perpendetur ; Sempronius  
 Civis Noribergensis Lipsiæ ex mutuo accepto se ad solutionem 1000. thalerorum obligavit;  
 Quæritur utrum ex hoc contractu Lipsiæ jure conveniatur, an verò privilegio de non evocan-  
 do, qvod Civibus Noribergensis indultum est, ita fruatur ut causa Noribergam remitten-  
 da sit ? Posterius ex indole hujus beneficii fluere videri poterat, prius vero Juri convenien-  
 tissimum esse judico. (o) Ne autem à Practicis Fori Germanici Principiis aliena sit hæc con-  
 troversia , reum, qui convenitur, Lipsiæ præsentem esse singam, cum hodiè secundum receptam  
 c. i. d. for. comp. in 6 doctrinam rei præsentes demum in foro contractus convenientur. (p)  
 Quominus memorato privilegio de non evocando locum relinquam hisce fundamentis mo-  
 veor. 1. Cum privilegia contra generalem juris rationem concedantur, eadem interpreta-  
 tionem restrictivam pati aequum est l. 14. l. 16. ff. d. leg. c. 7. c. 8. X. d. privil. ex quo sequitur be-  
 neficium de non evocando ita circumstribendum ut, ut foro quidem generali, at non spe-  
 ciali, quod est in loco contractus, præjudicet. 2. Qui cum aliquo contrahit ad satisfacien-  
 dum promisso in loco celebratae conventionis se obstrinxisse creditur, nisi alium, quo solutio  
 fieret, locum determinaverit. l. 19. §. 2. l. 45. ff. d. jud. j. l. 3. ff. d. reb. auct. jud. poss. l. 21. ff. d. Q.  
 & A. idq; & in commerciorum utilitatem, & probationis adjuvandæ studio, & difficultatum, in  
 adeundo domicilii loco emergentium, evitandarum ergò inventum est. N. 69. pr. & c. i. A spe-  
 ciali hoc foro igitur Imperator non videtur cives per privilegium de non evocando eximere  
 voluisse , cum id commercia novis odiosisq; ambagibus implicit, aliasq; à contractibus cum  
 iisdem ineundis deterreat. 3. Gregorius IX. Pontifex in c. dilecti filii. 17. X. d. for. comp.  
 privilegium, quod Anglis illic concessum dicitur, ne in causis pecuniariis citra mare conveni-  
 rentur, ita explicandum esse censuit, ut ad forum contractus, tanquam speciale, non pertine-  
 ret, cur itaque simile, de non evocando, jus extenderemus ad forum contractus, quo ne cleri-  
 cos quidem in tali casu frui videmus. Quod si Autor hujus beneficii à foro contractus quoq;  
 immunitatem largiri voluisse, nominatim id dubio procul expressisset, sed, quia hoc non fecit,  
 jus tanti præjudicii dedisse non præsumitur. Nam in generali concessione ea nequaquam con-  
 tinentur, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus c. 2. de vicar. 6. a l. 15. §. 26. ff. d.  
 injur. Hisce præjudicio à Magni Nominis JCto, Carpzovium puto, munitis rationibus oppo-  
 nitur 1. Quod privilegii de non evocando ea facienda sit interpretatio , quæ illud planè  
 inutile

(k) v. Fritsch. ad cap. Joseph. p. 100. seq. (l) v. Melch. Goldast. Const. Imp. Tom. 3. p. 659.  
 seq. (m) Conring. d. Rep. Imp. Germ. Ex 6. th. 69. j. Hildesheimischer Haupt-Reces.  
 d. A. 1643. zu Braunschweig auffgerichtet ap. Philippum Andr. Burgoldens. in Notit.  
 rer. Illustr. Imperii.

(n) Cap. Leopold. art. 18. & 19. R. J. d. A. 1654. §. 164. Alß sich  
 Dann. j. R. J. d. A. 1512. §. 14. Wo aber hiewieder ic. (o) Cons. Carpz. l. 2. R. 29.  
 ubi præj. n. 21. 22. Rummel. ad A. B. Part. 2. Diff. i. tb. 10. ibid. Myl. lit. b. Limn. ad A.  
 B. c. 8. Obs. 6. Struv. S. J. C. Exc. 9. tb. 42. Diff. Schilt. ad π. Ex. 13. tb. 32. (p) Græ-  
 new. ad l. 2. C. d. Jurisdict. omn. jud. Carpz. l. 2. Resp. 30. n. 4. id. post Jur. Feud. D 6.  
 in semidec. q. 1. n. 34.

EKK 1948

inutile non reddit, a. l. 12. ff. d. reb. dub. eò quod concessiones supervacuas jura aversentur. a. 14. § 1. ff. ut legat. vel fideic. serv. caus. cav. Sed beneficium hoc ne quidem hodie penitus esse inane existim, si reus in diversis locis constituerit domicilium: cum enim alias actorum optionem habeat utro in domicilio reum convenire malit, a. l. 2. § 3. ff. de eo quod cert. loc. hac fori electione, proper rei privilegium de non evocando, excidet. Ceterum non eo inficias majorem hujus beneficii fructum fuisse ante, quam omnibus statibus idem tribueretur; Hoc enim Electoribus eorumq; subditis à Carolo IV. concessum, diversisq; Imperii Principibus nec non Civitatibus postea specialiter indultum, tandem omnibus Statibus communicari coepit. (q) Quando antem ex eo quoq; tempore idem jus à novis Imperatoribus his, quibus datum, confirmatum est, ejus rei hanc præcipuam fuisse rationem arbitror, quod ne quidem hodie hujus beneficii usus penitus expiraverit, prætereaq; vel privilegii tabulae singulare quid contineant, vel cum reliquis, quæ corroborantur ab Imperatore, privilegiis cohærent. 2. Supra laudato Domino Carpzovio objicitur, quod ipse, quoties reus duplex habet domicilium, privilegio de non evocando locum relinquat, cum tamen forum duplicis domicilii sit foro contractus specialius. At infrequentius esse illud forum foro contractus largior, siquidem hodie raro constituuntur in duobus locis simul domicilia; idem autem specialius esse negoziam generale est illo quoq; casu domicilii forum, & cum aliis foris specialibus concurredit. a. l. 19. §. f. ff. d. Judic. l. f. C. ubi in rem act. itaq; privilegium, quod exemptionem à foro generali certa ratione præbet, ad specialia fo: a extendendum non est. a. l. 14. l. 16. ff. d. leg. 3. Movetur in foro delicti prodesse de non evocando beneficium, cum tamen illud quoque forum speciale sit, sed, quo minus eos, qui certo in loco deliquerunt, hujus privilegii reddendos esse participes credam, impedit delictorum odium, quibus perire solent beneficia. a. l. 1. C. ubi de Crim. l. 3. ff. d. Offic. Præf. j. l. 52. ff. de Re Jud. l. 12. C. d. Dignit. (r) nec non fori specialitas, ob quam frustra regulariter etiam in rei sitæ foro ad hoc privilegium provocari monuit Mevius. (s) Verum avocat calamus plura de hisce molientem propositi ratio, evocariq; jubet Viros Juvenes Nobilissimos atq; Clarissimos, qui sedulam, cui haec tenus domi inhæserunt, lectionem ac meditationem Juris Exercitio Publico confirmare ex re studiorum suorum fore crediderunt. Unde, cum eos partim haud vulgaria Parentum Exempla ad lucis amorem ducant, partim Propinquorum merita & expectationes ad illa, quæ cordatis laudi sunt, invitent, omnes verò, altissimè radicata in bonis mentibus, Publicæ Salutis Studia ad excolendas animi vires sollicitent, Selectas Juris Civilis Controversias, quas XVIII. Disputationibus complexus sum, publicè, meo adjutâ Præsidio, defendere, ac per vices mutuo Territorium munus exornare decreverunt. Quorum honestissimo desiderio deesse meritò mihi religio fuit, unde singulis diebus Sabbathi, ubi id pro more indicatum fuerit, suorum profectuum specimen, modestè in utramque partem disceptando, edituri sunt eò, quem fors cuivis citra præjudicium dedit, ordine collocati:

Dn. Georgius Gottlieb Ritter, VVitteb. I, II, III.

Dn. Godofredus Sigismundus Alberti, Freib. Misn. IV. X. XVI.

Dn. Johannes Fridericus Matthesius, Hala Saxo. V. XI. XVII.

Dn. Johannes Sebastianus Mæschelius, Hala Saxo. VI. XII. XVIII.

Dn. Christianus Fridericus Kuntsch. Lips. VII. VIII. XIV.

Dn. Samuel Balthasar Goldbach. Vrat. Siles. IX. XIII. XV.

Quod reliquum est Vos, Generosi atq; Nobilissimi Juris Cultores, qui Justitiae Decora Publicæq; rei Ornamenta dici meremini, affectu præsentiaq; Vestra declarate, quanto amore prosequamini eos, qui ad solidam Juris Scientiam haud segni pede contendunt, exhaustique laboris hæc experimenta edentes Vos esse Arbitros Judicesq; cupiunt. Ita futurum est ut ipsorum in excolenda Jurisprudentia ardor Vestra Benevolentia augeatur, nostra verò in promovendis hisce studiis industria, isto favore accensa, quovis obsequii genere Studium Vestrum studeat demereris.

(q) Confer. Rum. & Myl. ad A. B. Part. 2. Diff. 1. tb. 3. & seqq. (r) iidem d. Diff. tb. 10. l. a. ubi v. Dd. allegati. Limn. ad Aur. Bull. c. 8. Obs. 6. (s) Mevius Part. 3. Dec. 118. it. Hahn. ad Wes. t. d. Judic. n. 16.



1017

HC


FK.127  
16

X 1876019

99.

De privilegio platum J. R. Genice non e.

II K  
1948



aa.41.

VI. 3